



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

VI. Evander idem ac Moses.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

cum, ut dixi jam sapius, prudentissimum consiliarium appellat. Astronomus fuit Faunus, teste Suida: Moses Oisarsiph dictus est, quod Solis contemplatorem sonat. Rex Aboriginum dicitur fuisse Faunus: rex dicitur Moses à Clemente Alexandrino. Magiam calluisse Faunum nonnulli fabulati sunt, ut prædicat Plutarchus: idem à plerisque de Mose proditum esse supra notavimus. Omnes quoque formas induere solitum narrant, quod & de Proteo & Vertumno, qui Mosem adumbrant, dictum vidimus. Faunus civium suorum feritatem narratur mansuefecisse: Moses pius sanctisque legibus Israelitarum mores mitigavit. Tradit Probus Faunum primum loca certa numinibus, & adificia quedam, lucosque sacrasse, à quo & sana dicta esse (sic enim hæc emendamus, quæ in editis libris vitata sunt;) Lactantio quoque dicitur institutor ineptarum religionum: Moses inter Israelitas piarum & verarum auctor fuit. Faunus demum Deorum albo adscriptus est, quem honorem & Mose pleræque gentes habuerunt. Post mortem oracula dabat Faunus: Moses in scriptis futura mortuus prænuuntiavit.

V. Constabit quoque Mosem esse Silvanum, si probaverimus hunc esse Panem, & Faunum, & Apollinem: quippe cum hi Moses sint. Hoc autem ex Libello de origine gentis Romanæ liquidum est, ubi legitur Faunum, Silvanum, Inuum, & Panem, unum esse & eundem. Glossæ Philoxeni: *Silvanus*, Πάν, θεός ὕλων, Aliæ Glossæ: Πάν, ὁ δάμων, Incubus Silvanus. Onomasticon vetus: *Silvanus*, Πάν. Isidorus: Πάν dicunt Græci, Latini Silvanum. Idem docet & Papias. Utrumque veteres piabant lacte. Testis Horatius de Silvano: de Pane idem nos supra ostendimus. Fistula adscribitur utrique, & corona pinea, quam capitis Silvani agrestem honorem Virgilius appellat, & sic visitur in Marmoribus antiquis. Hic est, quem Sylvicolam Faunum Virgilius & Stæsius nominant, indicata obiter nominis origine: nam Silvani à sylvis dicuntur, teste Plinio. Græci ὕλων & ὕλων θεόν nuncupant, quod tamen Macrobius & Servius *ἀγρον πῆς ὕλων*, dominum materiam, non ἄβ ὕλων, sylvarum, exponunt. Apollinem esse indicant Auctores finium regundorum, cum tres Silvanos faciunt, quorum unus dicitur *Agrestis*, pastoribus consecratus. Sæpe etiam in Inscriptionibus Agrestis appellatur Silvanus, ubi perperam pro SILVANO AG. legitur non semel, SILVANO AUG. Idem nempe quem Virgilius *Agrorum*, pecorisque Deum nuncupat. Apollinem autem & Arinæum, quorum utrumque Mosem esse evicimus, ἀγροῦ καὶ νόμου Pindarus dici affirmat. Cyparissi casum, quem Apollini adscribit Ovidius, Servius ad Silvanum refert. Alii Silvanum & Silenum eundem esse, & illum ab hoc nomen habere putant; inferto digamma. Unde apud Hefychium Σιλῆνοι dicuntur Satyri, digamma mutato in gamma, ut sæpe fit. Id si ita est, res quoque pertinet ad Mosem; nam Bacchi, qui Moses est, socius fingitur Silenus. Idem futura prædicat; prædicat & Moses. Asino vehitur Silenus, propter notam & supra à nobis memoratam fabulam de grege asinorum agrestium, quorum ductu venas aquarum Moses reperisse narratur apud Tacitum. Silenus suis juvenilibus annis dicitur Ovidio, quod cruda fuerit & viridis Moses senectus, ita ut non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sint. Mercurium, Herculem, & Silvanum, συνώνως fuisse vetus Marmor ostendit, quod repræsentat Gruterus in Inscriptionibus. Aliud Silvano, Mercurio, & Libero positum est. Sæpe reperias apud eundem Herculi & Silvano solis posita monumenta: quippe & Mercurius & Liber Moses est; Hercules vero Josue Moses socius. Memorabile est, quod legitur apud Pausaniam, Sileni sepulcrum esse in regione Ebræorum: quod de Mose intelligendum est, qui cornutus dictus & pictus est; itidem ut sæpe Sileni exhibebantur, cujusmodi complures marmorei hodieque supersunt.

VI. Nec notis ac symbolis Mosem signantibus Evander vacat. Coævus dicitur fuisse Fauni, qui Moses est; & Herculis, qui Josue. Scribunt igitur primum Evandrum coluisse Herculem tanquam Deum: an propter ista libri Numerorum: *Dixitque Dominus ad eum: (Mosem) Tolle Josue filium Nun, virum in quo est spiritus, & pone manum tuam super eum: qui stabit coram Eleazaro sacerdote, & omni multitudine; & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriae tuae, ut audiat eum omnis Synagoga filiorum Israel. Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulat Dominum.* Mercurii, qui Moses est, ac Themidis, quæ justitiæ & legum Dea est, filius habitus est Evander, teste Dionysio Halicarnassæo; propter leges à Mose Israelitis latas. Carmentam Romani dixerunt, à carminibus & vaticiniis, ab eaque Evandrum futura didicisse, quo notatur prophetica facultas Mosi. Eandem Ladonis fluvii filiam facit Pausanias, quod à matre Moses in Nilum demissus sit. Arcas fuisse fertur Evander, perinde ut Mercurius, & Pan, & Aristæus, alique quibus Mosem adumbratum esse ostendimus. Nomen etiam, quod hominem viris egregiis stipatum sonat, Mose congruit. Evandro literarum utum debere Latinos scripserunt complures: notavimus supra literarum inventionem Taauto Philonem Byblium, Mercurio Ægyptio Platonem adscripsisse.

Clem. Alex. Strom. 1. Plut. in Numa.

Prob. in Virg. Georg. 1.

Lactant. libr. 1. Inst. cap. 22.

Silvanus idem ac Moesi.

Isid. Orig. libr. 8. cap. 21.

Horat. Epist. 1. Virgil. Ecl. 10. Inscript. Gruter. pag. 64.

Virg. Æn. 1. 10. Stat. Theb. 1. 5. Plin. libr. 12. c. 1. Macr. Sat. libr. 1. cap. 22.

Serv. in Æn. 8. Inscript. Gruter. p. 64.

Virgil. Æn. 8. H. dar. Pyth. Od. 9. Ovid. Met. libr. 10.

Serv. in Georg. 1. Hefych. in Σιλῆνοι.

Tacit. Hist. libr. 5. cap. 3. Ovid. Metam. libr. 10.

Deut. 34. 7. Inscr. Gruter. p. 4. & 64. & 42.

Pausan. Eliac. 4.

Evander idem ac Moesi. Num. 27. 18. & seq.

Dionys. libr. 1. & 2. Pausan. l. read.

lisse. Hyginus: *Has autem Græcas (litteras) Mercurius in Ægyptum primus detulisse dicitur, ex Ægypto Cadmus in Græciam, quas Evandrus profugus ex Arcadia in Italiam transtulit; quas mater ejus Carmenta in Latinas commutavit.* Taausus autem ille & Mercurius, Moses ipse est; à quo & Eupolemus, & alii Eupolemum secuti, aiunt Grammaticam Judæos accepisse, ab his Phœnices, à Phœnicibus Græcos. Italis leges dixisse Evandrum auctor est Dionysius: Ebraei legillatorem Mosem habuere. Musicam quoque Italis tradidit Evander, eodem Dionysio teste, propter egregios illos Mosi Hymnos qui exant in Pentateucho. Evander Italis fruges in Græcia primum inventas ostendit, serendique usum edocuit, terræque excolenda gratia primus boves in Italia junxit: ut habet Auctor libelli de origine gentis Romanæ: idem beneficium acceptum refertur Osiridi, qui Moses est. Evandrum præterea ad artes plurimas & studia Italos instituisse idem Dionysius affirmat; uti Mosem Ebræos instituisse vidimus superius, cum de Mercurio ageremus. Religionum ceremonias in Italia sanxit Evander, templa exstruxit, aras & statuas erexit: Moses sacros ritus Ebræis præscripsit. Nec aliam ob causam cultum Panis, qui Moses est, in illas oras inveniisse dictus est Evander, quam quod ex Mosi historia Evandri fabula detorta sit. *Excellentissima justitiæ vir fuisse legitur in memorato jam sæpius Libello de origine gentis Romanæ: eundem Arcadium omnium sapientissimum & fortissimum fuisse Paulanius asseverat: quibus dotibus commendatissimum fuisse Mosem sæpe jam observavimus. Regiam dignitatem obtinuit Evander; rex dictus est Moses à Clemente Alexandrino. Heroibus denique, & Dæmonibus, ac Diis adscriptus est Evander, ipseque ac Carmenta mater aras & sacrificia inter Romanos promeruerunt: quod honore apud alias gentes Moses affectus est. Quæ cum ita sint, verissimum esse patet quod dixit Vossius, nullum fuisse regem, cui proprium fuerit Evandri nomen. Jure quoque Strabonem existimasse liquet, fabulosum esse, quod sermone omnium pervulgatum est, Evandrum in Italiam coloniam Arcadicam duxisse. Sed & nos præterea fictitiam esse personam, ad Mosi exemplar compositam, merito pronuntiamus.*

VII. Penates, Deos Romanorum proprios esse Macrobius significat. De iis autem magna est veterum Scriptorum concertatio. Nigidius & Cornelius Labeo Neptunum & Apollinem esse rentur. Apollo autem Moses est. Verum aliud nobis suadere videtur Virgilius, cum libro Æneidos tertio Penates ab Apolline missos inducit: itaque diversi fuerint ab Apolline. At Varro & Cassius Hemina Deos esse Samothracas affirmant. Fuisse autem in his Mercurium, Bacchum, & Æsculapium, Mosi simulacra, superius à me demonstratum est. Inesse Mercurium indicat quoque eorum effigies, quam ex Timæo proponit Dionysius Halicarnassæus, cum ait fuisse ærea & ferrea caducea. Multi volunt Penates eosdem esse ac Lares. Certe Deos Samothracios cum Laribus nonnumquam confundi, testis est Nigidius apud Arnobium. Ergo in Laribus quoque Mosem habemus. Plures vero distinguunt Lares à Penatibus; & apertissime Plautus in Mercatore. Verum, distinguantur licet, plurimam quoque iis contineri Mosi imaginem deprehendetur. Mercurii, qui Moses est, Lares filii esse dicuntur. Gemini sunt, ut Aaron & Moses. Curetes quoque esse & Dactylos Idæos statuunt Hyginus & Arnobius; Cretenses nimirum, quod Palæstinæ incolæ כרתים dicti sint, ut supra monui, cum de Minoë differerem. Lares Varro Manes esse vult, Maniæ filios, quæ dicitur vulgo Larunda. Apuleius, in libro De Deo Socratis, Larum docet appellari Manem. At nos observavimus in Notis ad Origenem Manem esse Μῆρα, hoc est Dæmonem. Glossæ Philoxeni: Larunda, δαυμῶν μήτηρ. Ergo Lar est Μῆρ, & Manis, & Dæmon; hoc est Sol, ut ibidem à me notatum est; nempe φωνῆς; idem & Apollo, hoc est Moses, ἰσοεὐνός. Vulgus Lares iterum Deos esse arbitrat. Viales dicuntur Plauto, & in Inscriptione veteri; Compitales Suetonio; unde Compitalia. Græce ἐνοχῆς dicas. Dii porro ἐνοχῆς, sive Semitales, sunt Mercurius & Hecate sive Bivia. Mercurius autem Moses est. Compitalibus aliquamdiu observatum refert Macrobius, ut Maniæ Larum matri pro familiarum incolumitate pueri mactarentur; deinde vero Junium Brutum Consullem, infaustum & cruentum sacrificium abrogasse, pro puerorum capitibus aliorum & papaverum capita offerentem, ut Apollinis oraculo satisfaceret, qui pro capitibus capita postulaverat. Tum addit Macrobius: *Factumque est ut effigies Maniæ suspense pro singulorum foribus periculum, si quod immineret familis, expiarent. Quem ritum suspicor ex Dei mandato profectum, cum per Mosem Israëlitas Ægyptiaca tyrannide janjam eximendos iussit fores sanguine aspergere: Et transibo, inquit, per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine usque ad pecus: & in cunctis Diis Ægypti faciam judicium, ego Dominus. Erit autem sanguis vobis in signum in edibus, in quibus eritis; & videbo sanguinem, & transibo vos; nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti. Habebitis autem hanc diem in monumentum, & celebrabitis eam solennem Domino*

Hyg. cap. 277.

Eupol. apud Clem. Alex. Strom. 1. Dionys. libr. 1.

Poufan. Arcad.

Clem. Alex. Strom. 2.

Voss. de idol. libr. 1. cap. 22. Strab. libr. 5.

In Penatibus etiam &amp; Laribus later Moses.

Macrobi. Sat. libr. 3. cap. 4. Nigid. &amp; Lab. apud Macrobi. Sat. libr. 3. cap. 4. &amp; Serv. in 1. Æn. Varr. &amp; Hemina apud Macrobi. Sat. libr. 3. cap. 4. &amp; Serv. &amp; 3. Æn. Dion. Hal. 1. 1. Arnob. libr. 3. Plaut. Merc. 3. 1. 7.

Varr. apud Arnob. libr. 3.

Plaut. Mercat. 3. 2. Inscript. Græc. p. 78. Sueton. Aug. cap. 31. Macrobi. Sat. libr. 1. cap. 7.

Exod. 7. 12, &amp; seq.